



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Theodorvs M. 7. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

habuit, Flosculum hunc tu ex odorum reliquiis, quas in terris reliquit, estima. Et tamen (ad Filium hæc dicebat) gemma hæc tumulo ignobili abdita pulchrius nitere prohibetur. Quin amplius co'is, qui tantum te, tantum me coluit? Quid Matri Filius negaret? promisit tunc ossibus sacris eum honorem, quem postea ab altero Episcopo tulerunt. Ego quid hinc exclamem? utinam me omnes audiretis MARIA Sodales! O quam pulchrum est digito Virginis monstrari! quam pulchrum dicier: HIC EST! Ex *Vite Aquilon. Ioan. Vastov.*

Celestis Pater probat muneribus charitatem. Filium se nescit, visceribus caret, naturam negat, ingratus est patri, qui auctorem vita sua non placat obsequiis, non devincit cultu, muneribus non honorat. S. Pet. Chryl. serm. 10.

S. THEODORVS M. 7. Februarij.

VNã virtute Christianã armatus THEODORVS Centurio patriæ terrorem draconem confecit. Et erat hoc pugnis majoribus præludere: monstrum alterum majusque Licinius Imp. imminabat. Hic sive quod eam fortitudinem in milite amaret, sive, quod invideret Christiano, ad se THEODORVM evocavit. Quin, cum hic nuntiasset, si ad se ipse Imp. cum Diis suis accederet, fore ut hos merito honore coleret, non dubitavit Licinius, ut superstitioni virum tantum adderet, iter ad illum instituere. Interea cælum pandi videbatur THEODORO, atque inde prodire, qui telis igneis dormientem configerent, vox quoque quomodam allapsa: *Macte animo Theodore; quando ego tibi adero.* Facile sibi ipse THEODORVS hæc somnia, sine alio augure, explicuit, vocemque cæli

cla sici

classici instar habuit. Itaque cū manē Deorum signa è suo larario obtulisset Imp. velut adoraturus hæc in adyta abstulit. Ibi ille & Iovis fulmen, & Martis Palladisq̄ue hastas, & Veneris faces Cupidinisq̄ue arcus omnibus gigantibus fortior solus fregit, & quia aurea erant omnia aut argentea, ridiculos Deos pauperum prædam fecit. Hi cū ulcisci non possent ipsi sese, Licinius & se, & illos ulturus, in crucem agit THEODORVM, ferro transadigit. Inde puerile agmen sagittis suis scopum geminum, geminum Divi oculum accipit. Sed reddidit hos ocello suo Angelus, & è cruce exsolvit. Mox ad gladium damnatur. Hunc ubi forti jugulo exceperit, rude Superi donarunt. *Ex Metaphr.*

Si dignum Dominus pati duxit, pati servum quomodo videtur indignum? Erramus, erramus: qui non facit quod iussit Dominus, gratis sperat, quod Dominus promissit. S. Pet. Chryl. serm. 28.

S. PARTHENIVS EP. 7. Februarij.

PVER PARTHENIVS piscatum exercuit, & lucrum pauperibus cessit. Sed neque piscator desit esse Sacerdos & Pontifex inaugurator, nisi quòd prædam jam nobiliorem (animos) Deo transcriberet. Porro Stygi jam inde ab anno octavo decimo fuit metuendus. Et profectò vix aliis fuit, qui sæpius orcum expugnavit; ut quocumque jam pedem suum ferre PARTHENIVM, inde referre suum malum dæmonem cerneret, etiam è sedibus, quas olim & multas infederat. Et fortè eum ex homine nescio quo proscriptum ibat, cū mitius aliquantum inferno exilium, porcorum corpora hic rogavit. Plus etiam indulgit PARTHENIVS, & si hoc modò cederet, hospitium alterum in homine